

PRONVNCIATA CEN

TVM CVM INTERPRETATIONIBVS, VTILITATIBVS ET EXEM-
plis eorundem apertissimis, super instrumento nouo Primi mo-
bilis, recens iam à P. Apiano composita & conscripta, magno
futura usui omnibus Astronomiæ studiosis, foeliciter
hic incipiunt.

PRONVNCIATVM PRIMVM.

Instrumentum hoc primi mobilis componere, & in genere usum eius
breuiter intelligere.

P Rincipio cõpositurus instrumentũ, quo omne illud, quodcũq; in uniuerso pri-
mo mobili inquiri potest, inueniatur, duc lineã rectam ea longitudine, quæ
magnitudini siue quantitati ppositi instrumenti respondeat, ad huius lineæ
finem seu extremitatẽ dextri lateris pone A, ex altera parte B. Deinde ex A
lineam erige perpendicularẽ, eadem longitudine planoq; æquali lineæ AB,
& in altera extremitate quæ eminet, scribe C. Mox circinũ altero illo pede fixo & immoto
reponere in A, mobilem aut pedẽ educ extensum in C usq; & sic circulũ describe à C usq; in
B, atq; hoc modo habebis ante te descriptũ iam iam quadrantẽ, quartã scilicet circuli toti9
partem ex tribus illis literis ABC. Ad hæc circulũ istum à B in C diuide in 90. partes æ-
quales, idq; in hunc modũ. Primũ omnium in tres partes æquales, deinde quãlibet earũ rur-
sus in tres alias partes æquales, mox singulas illas adhuc partire in duas, & has postremo
in 5. atq; sic circulũ habebis à B usq; in C apte diuisum in 90. partes æquales, quas graduũ
appellatione cõtinemus. Et hæc puncta graduũ occulte quidẽ describi debent, ut facile de-
leri possint. Cæterũ ijs ita peractis, porrò adhuc diuide lineã AB in duas partes in puncto
D, similiter & lineã AC in puncto E, circinũ aut pone in D altero pede fixo, altero exten-
so describe circulũ ex A usq; in B, circinũ ita immotũ relinque, & pedem alterũ colloca
in E, altero autẽ similiter duc semicirculũ ab A usq; in C, ita, ut duo illi intersectionẽ mu-
tuam habeant in puncto F, atq; isti iam semicirculi duo illi sunt ueri, qui ad diuisionẽ sinu-
um & necessario hic requiruntur et adposite usurpãtur, qd hoc loco præmonuisse te oport-
uit, nobiscq; adeo consultũ uisum est, eo maxime ut deinceps scias quid uelimus, quoties-
cũq; de circulis sinuũ differemus. In puncto autẽ A filum adfigi oportet, quo usui sit ac-
cõmodatior. Deinde punctis DE applica regulã, & pinge aut trahe lineã occultam ex D
in E, et eam diuide per mediũ in puncto G, posthac pone circinũ pede fixo, scilicet fixo in
G, altero extenso in B uel C, describe circulũ, & sic circulũ describe à C usq; in B, ita tamẽ,
ut appareat circulus eminare aliquantulũ ultra B et C. Iterum expande circinũ, & protra-
he circulũ tantum solũmodo distantẽ à iam ducto circulo, qd inter ipsos possint cadere sin-
gulares graduũ diuisiones. Rursus iterũ comprime circinũ, & depinge in eodẽ centro ter-
tium circulũ tantum distantem à primo, ut inter ipsos possit scribi numerus graduũ distin-
ctorum per 5. et 5. Hi circuli sic rite descripti, constituunt limbũ
huius instrumenti. Demum applica regulã centro A & singulis
diuisionibus graduũ in circulo BC occulto, & ubi regula tangit
istos circulos, duc lineas minutas à pri-
mo circulo in secũdũ, linea uero à 5.
gradu ducenda erit de secundo circulo
in tertium. Tandem in spacio primi &
tertij, incipiendo à B scribendo uersus
C in primo spacio 5. in secundo 10. in
tertio 15. et sic de alijs numeris per qui-
nariũ ascendẽdo usq; ad 90. q̄ circa C
sedẽ sibi uendicabũt, hætenus de cõpo-
sitiõẽ libi q̄drãtis c9 has sume figuras.

